



N. P A P I N I I.  
DE PULVERE SYMPATHICO,  
DISSERTATIO.

**A**Rdua persequi difficultatis laborisve causa qui videretur, eadem assequi indignus est; nec nucleum degustare meretur, quem tædet perfringendæ nucis. Nil mirum idcirco, si per obscuræ quæstionis & mille obvolvæ tricis veritatem detegere exoptans, de pulvere illo scilicet, qui nullo partis affectæ contactu, inflicta quæcumque vulnera, sola ejusdem super effusum sanguinem insperione consolidat, illud docere aggredior, cujus ab aliis addiscendi frustra dudum desiderio gestiebam. Rem enim aliis exposituri, longè altius meditamur, & nova detegimus quæ nos antea latuerant, unde primi fructu potimur, quem aliis impertiri lubuit.

Ne cui autem longis digressionibus fastidiosi simus, brevitate, quàm res permiserit, præsentem disceptationem sub titulis sequentibus dilucidabimus.

An detur medicatio per sympathiam?

Quid sit pulvis sympathicus?

An detur actio in distans?

Quonam pacto conferat ipse pulvis vulnerum curationi?

QUÆSTIO PRIMA.

*An detur curatio per Sympathiam?*

**H**ominis esset otio plusquam abutentis de causis rei cujuslibet tam intrinsecis quàm extrinsecis percontari, priusquam de ipsius reali ac vera existentia in rerum natura constet: unde pro more recipitur doctis, ut de quavis disciplina sententiam prolaturi, antequam quænam, & propter quid ea sit, figillatim explicent, in dubium revocent prius, an ipsa de facto vel possibili existat, ut perceptæ existentia, velut fundamento, futurum sermonem superstruere possint. Cui quidem assentientes methodo asserimus primò, quod cum sympathia sit communis quædam affectio: qua diversa ad eandem concurrunt actionem, & eundem assequi finem exquirunt; sic ut agentis actionem libenter patiens admittat, agens verò proprio naturæ suæ impulsu patiens aptum actionem suam edat, nihil sit dubii quin per modum ipsius sympathias quamplurima in rerum natura contingant.

Ut autem de primis, secundis, cæterisque elementorum qualitatibus nihil dicamus, quippe quæ intimam actionis suæ rationem oculis & intellectui nostro offerunt, & manifesto modo inter se agunt, reagunt, patiuntur, & repariuntur: apud

omnes